

LIBER I

T_1 v.1 Innocuos calices et amicam vatibus herbam,
 2 vimque datam folio, et laeti miracula fumi
 3 aggredior. Tu qui censu decoratus equestri
 4 virtutem titulis, titulos virtutibus ornas,
 5 antiquum et Phoebi nato promittis honorem,
 6 tu, Paddaee, fave ; nec enim praestantior alter
 7 morbifugae varias vires agnoscere plantae,
 8 inque tubo genitas haurire et reddere nubes.
 9 Da, puer, accensum selecto fictile paeto
 10 ut Phoebum ore bibam. Quis enim sine sumine paeti
 11 digna canat paeto et tantis se comparet ausis ?
 12 Non inventa homini, humanos adolevit in usus
 13 nobilis herba, patri sed primum visa Lyaeo,
 14 cum madidus siccos thyrsos subduceret Indos,
 15 notuit, ad seros et claruit inde nepotes.
 16 Forte per aestatem tesquis arentibus hostes
 17 norat in insidiis meditari proelia Bacchus.
 18 Arma jubet celeresque jugo subjungere Lynces
 19 Bassaridasque sequi ; Silenum accedere curru
 20 mandat, et in pugnam totis exardet habenis.
 21 Pone sequebantur lixae jumentaue multo
 22 tarda onere et lentis congesta viatica plaustris,
 23 et claudus senio, Sileni vector, asellus.
 24 Dumque volat furiata phalanx inimicaque quaerit
 25 agmina, per vastas et lassa vagatur arenas,
 26 dira fames urgetque sitis ; defectaque succo
 27 membra labant ; desunt ipsi sua munera Baccho.
 28 Amphora Sileni, curru subversa, jacebat,
 29 amplo exhausta sinu. Sitienti ambusta dehiscunt
 30 ora seni, ardentes dum ducit hiatibus auras.
 31 Maenades et Satyri, multumque proterva juvenus,
 32 impatiens scrutatur aquas per viscera terrae,
 33 nequiquam. De se tandem sibi pocula quaerunt,
 34 et salsum potant, quem dat vesica, liquorem.
 35 Pocula spurca nimis, sed et haec quoque pocula desunt,
 36 increscente siti, venis et deficit humor.
 37 Spes tum accisa omnis, faciesque miserrima rerum
 38 apparet ; tostas alii de faucibus atris
 39 exhalant animas ; alii per mutua fundunt
 40 vulnera, quem rapiant ante ultima fata, cruorem.
 41 Jamque acies moribunda cadit, cum valle remota

42 eminus obscuri facies confusa vireti
43 visibus occurrit dubiis, tumque Evius altum
44 inclamans : "Duremus," ait, "tantisper in armis,
45 o socii, optatam vicina in valle salutem
46 aspicio." Hic lentos toto conamine gressus
47 accelerant, renuuntque mori, venasque supremo
48 sanguine manantes animae spiracula claudunt.
49 Utque propinquabant, altis se prodit opacum
50 stipitibus nemus et foliis spectabile vastis.
51 "Euge ! meis," clamat, "cognatam vitibus herbam
52 agnosco munusque deum." Sed plura volenti
53 surda manus. Latas tenero de caudice frondes
54 carpit, et ignoto latrantia viscera succo
55 demulcet ; viridis stillat sub dentibus humor.
56 Non tamen oblatas Sileni provida virtus
57 praecipiti vorat ore dapes, sed (cautior usu)
58 haeret, ab exemplo documenta abstemius optans.
59 Nec mora ; quis patulis lateat sub frondibus error
60 eventus docuit : totis (mirabile) castris
61 evomitur caditurque velut cum, gurgite pleno,
62 ingruit admissi miranda potentia Bacchi ;
63 volvitur in gyrum tellus, caelumque videtur
64 nubibus adductis surgenti occurrere terrae ;
65 tum sopor obrepit, somnique invicta cupido
66 germanam dubia praesagit imagine mortem.
67 Capripedes mediis diffusos stertere arenis
68 cernere erat. Disjecta solo defessa furentum
69 membra Mimallonidum devota jacere sepulcro.
70 Mox ubi discusso longi languore veterani
71 plenior ex adytis in singula membra recurrit
72 spiritus, amissae redierunt corpora vires.
73 Surgere tunc alacres, pedibusque insistere firmis,
74 et fulgere oculis, thyrsusque vibrare lacertis
75 fortibus, absentesque lacessere vocibus hostes.
76 Attonitus monstro, "Non huc sine numine, amici,
77 appulimus," Silenus ait. "Nec dona deorum
78 despicite, ingenitas vires, nec numina Bacchi.
79 Nec pudeat certa salvos a morte fateri
80 Caelitus ostenso vitam debere tabaco.
81 Advenisset enim languentibus integer hostis ;
82 victa siti manus haec cecidisset victima ferro,
83 tinctaque venisset victoria sanguine nullo.
84 Nunc veniat, validasque manus animosque viriles
85 sentiat, et si mens suadet, fera proelia tentet.
86 Sed rationis opus, superum nec munera caeco
87 contemeranda usu. Si quid sapit ista senectus,
88 viribus eximiis permistum in stirpe venenum
89 delitet. In ventrem virides ne mittite succos,
90 mandite nec folia ingestis confusa salivis.
91 Virus inest crudis ; aestivo sole recocta
92 credibile est tutos praebere halatibus haustus ;
93 nec ventri, at cerebro (si tecta evolvere fas est)
94 pabula grata reor, subtilibus eruta fumis.
95 Quare agite, o juvenes, tam digni muneris aptos
96 ingenio et rapidis extundite mentibus usus.

97 Dux ego vester ero. Quid mens dictaverit, omnes
 98 accipite. Arentes proluxa uredine frondes
 99 comminui manibus jubeo cannaque reponi ;
 100 protinus educto radiis solaribus igne
 101 contingi, et positis adversa parte labellis
 102 exsucti calidas nubes adducere fumi,
 103 ocius ut possint cerebri pervadere flexus,
 104 vinosisque leves recreare vaporibus auras."
 105 Dixerat. Hinc satyri teretes aptare cicutas ;
 106 deciduas alii sicca fuscetudine frondes
 107 frangere ; pars tubulos arsure pulverem complet ;
 108 pars stricto ore trahit (risumque sodalibus affert)
 109 pulverem flumen, tussesque inducit iniquas.
 110 Ipse pater fremitus vana et conamina risit.
 111 Igne carent, ignem votis ardentibus optant.
 112 Ecce senex densum, quod habebat mantica, vitrum
 113 depromit, vafri inventum subtile Promethei,
 114 furati aeternas caeli de fornice flammam.
 115 "Hic latet ignis," ait, suscepto et sole rotundum
 116 molliter acclivi depressum in vertice centri
 117 frondibus admovit Phoebus penetrabile vitrum.
 118 Cupidis in morem radiis concurratur ; auctus
 119 inde calor sensim serpit, fomentaque circum
 120 arripit, et fumo vicinum nuntiat ignem.
 121 Applaudunt satyri Faunisque, senemque magistrum
 122 attollunt humeris, vocesque ad sidera tollunt.
 123 Ipse cavam ante omnes accommodat ore cicutam ;
 124 leniter adducit nebulae mirabilis haustus,
 125 et ductos patulis fumos e naribus efflat.
 126 Nec mora, permotus subita dulcedine, toto
 127 corpore diffusum sentit gestire vigorem -
 128 ut solet a noti fecundo flumine Bacchi
 129 serpere paulatim non intellecta voluptas.
 130 Ora madent, non salsa sitis, non vexat acerba
 131 esuries vomitusve ; levi vertigine tantum
 132 crura vacillare et supremam udescere frontem
 133 percipit, illaesus sed et haec vanescere gaudet.
 134 Tum vacuus densa paeti porrectus in umbra,
 135 omnigenum et patuit fecunda scientia rerum,
 136 dulcibus absumit lentas sermonibus horas.
 137 Explicat ingentes opulentiae mentis acervos ;
 138 ludenti et similis naturae arcana recludit :
 139 implicitos memorat sphaeris caelestibus orbes,
 140 <et latebras> hominis ; terrae et miracula pandit ; (vers lacuneux,
 141 addit et oraclis docti libamina fumi. non signalé dans l'édition
 142 Fumantem sequitur circum diffusa juvenus, numérique proposée par Dana
 143 ipsa novis operata tubis fumoque fragranti. Sutton.)
 144 At rudis ore vomit naso reddenda patente
 145 nubila cum multa tussi lacrimisque jocosis.
 146 Ridicula, appressis animam quae claudere labris
 147 nescit, perque cavas iterum depellere nares.
 148 Docta sed exemplo grandaevis aequare magistrum
 149 efflando satagit, repletque vaporibus auras ;
 150 dumque hilares animis laeta vitulantur in herba,
 151 ecce venit fessis longum exspectata ministris

152 annona, et multo ferventia dolia vino.
153 Clamores geminant, versisque ad cantica cannis
154 gaudia agunt, epulisque favent, multumque vocatis
155 jumentis, reduciq; senis gratantur asello.
156 Indulgent Cereri primo, tum Massica libant,
157 viteaque admistis alternant pocula fumis.
158 Cuncta fremunt fumo, cantu, mistisque choraeis,
159 donec dulcem oculis fudit nox alta soporem.
160 Postera ut illuxit laetis aurora, ferique
161 admonuit belli securas pace phalanges,
162 Lenaeus pater et Sileni cana senectus
163 exstimulant, si quos festivi hesterna diei
164 fregit luxuries, animosque hortatibus addunt.
165 "Sat poclis, genioque datum ; nunc proelia mentes
166 sollicitant. Positas assumite vultibus iras,
167 et forte instanti dextras componite pugnae,
168 ne vigil incaute palantibus ingruat hostis,
169 et cadat, ipsa suas caedes non ultra, juvenus.
170 Nec virtus equidem nobis incognita vestra est,
171 o Socii, magnis neque non confidimus ausis.
172 Sed nocet, ignavas quamvis, contemnere turmas,
173 securosque mali ignotis incedere terris.
174 Impavidi ergo animis sedato insistite gressu,
175 neu mala nos iterum leto penuria mulctet,
176 agmine composito lenti procedite, paeto
177 non sine contrito promptisque ad labra cicutis ;
178 et levibus fungis servato et restibus igne.
179 Hoc animi surgent ad proelia, nubibus istis
180 prodigiiq; nova specie terrebitur hostis.
181 Este viri. Famam et factis sperate perennem."
182 Dixerat. Assensum properant applausibus omnes,
183 et sibi quisque suo stationem corpore servat.
184 Arduus in curru medio pater agmine Bacchus
185 eminent ; impexi tergo Silenus aselli
186 it comes, haud equidem bellax nec idoneus armis ;
187 at bonus eloquio et subitis dare tuta periclis
188 consilia. Aequales utrimque excurrit in alas
189 densa acies, hostemq; animis pugnacibus optat.
190 Nec procul hostis abest ; vicini vertice montis
191 opposito emergit summisque hastilibus exstat.
192 Bassaridis calido fervescit pectore sanguis :
193 aerea sinistra manu quatiunt et tympana pulsant ;
194 vino acuunt iras resides haustoque tabaco
195 excludunt leti faciem, suaq; agmina circum
196 nube tegunt atra. Spirantes naribus ignem
197 procedunt ; medio glomeratur in aequore nimbus,
198 igne micans tonitruque fero fumoq; stupendus.
199 Ostento attonitos subitus pavor occupat Indos :
200 non homines, sed furva rati de faucibus Orci
201 numina, consternati animo certamen iniquum
202 detrectant, trucibusq; timent conflagrare monstris.
203 Pars fugit, et positis quaerunt velocius armis,
204 quam dare victoris mallet clementia, vitam.
205 Pars orat veniam, parere et jussa modestis
206 imperiis, patiente jugum cervice capessit.

207 Sed pudet erroris, stulta et formidine tactos
208 extimuisse pudet vani sufflamina fumi.
209 Libertate dolent serva ; solatur at illos
210 indulgentis heri condita lepore potestas
211 et victoris amor. Simili discrimine victos
212 victoresque videt, bellis utrimque remissis
213 una dies miscere epulas Bacchumque ciere,
214 et simul alternis fumum potare cicutis.
215 Mirantur bona nata domi, nec nota queruntur,
216 et nebulas animi jucundis nubibus arcent.
217 Atque haec prima fuit mortales stirpis in usus
218 notitia ; haec late noti cunabula fumi.
219 Jam quae vis lateat plantae, quibus apta bibendo
220 corporibus, quibus et pugnet contraria morbis,
221 Musa refer, geniumque novo concede labori.
222 In primis non una subest natura stupendo
223 in folio ; adversis dives virtutibus omnem
224 exsuperare fidem gaudet stirpesque beatas
225 provocat : hellebori robur, rhabarbara duras
226 solvere nata alvos, facientem gaudia vitem,
227 balsama vulneribus laudata, fabamque suillam,
228 nepenthesque animi mulsum, gravidumque papaver.
229 Magna Dei virtus, quae tot miracula rerum
230 seminis exigui tantillo cortice clausit !
231 Quod licet haud superet cineris vel levis arenae
232 (fallentis digitum et numerantia lumina) molem,
233 mox dabit ingentem frondoso tegmine silvam,
234 et certa in dubiis promet medicamina morbis.
235 Quod si quis tantas rimari indagine causas
236 aggreditur, multum immani sub pondere sudet.
237 Seu diversa salis mirae substantia plantae
238 compositum esse dedit, multis et dotibus auxit,
239 seu simplex variis obnoxia casibus una
240 materies alios, pro mole et tempore, vultus
241 induit atque aliter distincta in corpora regnat,
242 naturae latet in gremio nec cernere pronum est.
243 Si tamen exemplis libeat, velut indice filo,
244 ire per anfractus dubios errore viarum,
245 inque sibi similes totum dissolvere partes,
246 forsitan occurret quo mens placata quiescat,
247 et si non verum, at veri illucescat imago.
248 Quidquid inest rebus sapidum, discernere gustus
249 quod valet, id salis omne solet de nomine dici.
250 At gemina est natura salis : vel funditus haeret
251 corporeae moli, ad superas nec tollitur auras
252 suppositis flammis, cineri sed figitur acri ;
253 dictus et hinc fixus. Levior vel ab igne solutus
254 in sublime volat, fumo subvectus amico
255 accrescitque apici in morem fuliginis atrae ;
256 inde sophis a re sal ille volatilis audit.
257 Hic aliud memori occurrit ratione tenendum :
258 viscera quod terrae, salibus praegnantia multis,
259 stirpibus innatis fecunda alimenta ministrant,
260 ut sua cuique trahit proprium natura fluorem.
261 Fructibus hinc sapor accedit ; hinc floribus omnis

262 spirat odor, retinentque sui vestigia succi.
263 At tellure latent, penitus confusa cavernis,
264 sulphurei latices, nitri glacialis amaror,
265 letale arsenicum, flammis affine bitumen,
266 argenti liquor in foedam resolubilis auram,
267 chalcantumque acidum, linguaeque adstrictor alumen,
268 atque alia innumeros factura elementa sapes.
269 Si quis jam excutiat prolixo carmine de tot
270 principiis cui accepta ferat sua munera paetum,
271 comperiet tanto dignum sudore bitumen :
272 cujus in eximia species supereminet herba,
273 pingue, olidum, acre, tenax, nitro sublime volanti,
274 ignis amans, crassaque ferens fuligine fumum.
275 His pictam in tabula quicumque coloribus herbam
276 non videt, hunc oculis captum et rationis egentem
277 crediderim. Quid enim magis aspectabile ? Dextram
278 trita oleo foedat, digitos et glutine viscat,
279 et solidat crudum lento ferrumine vulnus ;
280 sorditiem ulceribus salsugine terget amara,
281 nec putrere sinit. Sensum nam faucibus acrem
282 impingit, longumque relinquit in ore calorem.
283 Late fusus odor, virosa vividus aura,
284 dissipat ignavum cerebro torpente veternum.
285 Siccat et illuviem, eductis sternumine mucis.
286 Denique in aerium flammis conversa vaporem,
287 feta salis vivi superasque volantis ad arces,
288 pervia spiritibus, mentis capitolia scandens,
289 supplementa nova exhaustis animalibus infert,
290 atque hebetes subito restaurat acumine mentes.
291 Planta beata ! Decus terrarum ! Munus Olympi !
292 Non tantum agricolis duro lassata labore
293 membra levas, minuis victus absentis amorem,
294 fundis et absque cibo sparsas in corpora vires,
295 sed radium specimenque Dei sapientibus ipsis
296 ingenium illustras, si quando aut multa tenebras
297 colligit ingluvies cerebro, aut molimine longo
298 intellectus hiat, rerum neque concipit umbras
299 conceptasve tenet, vel caeca oblivia regnant.
300 Ut semel irrepsit blando lux indita fumo,
301 aufugiunt nubes atrae curaeque tenaces.
302 Vis micat inventrix. Dempto velut obice veli,
303 tota oculis animi patet ampli machina mundi ;
304 aeternae species naturae ex ordine nexae
305 succedunt redeuntque suis simulacra figuris.
306 O quoties visus, magna spectante corona,
307 orator, populi cupidus dicturus ad aures,
308 contremuisse metu, docti sermonis acervos
309 confudisse locis, lingua et siluisse rigenti,
310 cum memor ex tantis opibus sopita facultas
311 nil daret in vocem, sed res et verba negaret.
312 Si modo vel micam generosa e stirpe vorasset
313 fumanti tubulo, accenso seu lumine, sensim
314 res reperisse suas, prendisse fugacia verba,
315 thesaurosque animi populo exposuisse stupenti !
316 Si duo praeterea Stagirae in pulvere docto,

317 laudis amore novo verive cupidine pulsī,
318 pugnam agitant verbis et digladiantur acutis,
319 omne animi intendunt robur nervosque fatigant,
320 nexibus impediunt cautum ut subtilibus hostem,
321 aut validum incusso rationum pondere sternant.
322 Stat circum pubes, pulchri et certaminis aequus
323 arbiter ; ingenii aequales utrimque lacertos
324 mirantur, crebris vires applausibus augent.
325 Tandem obtusa acie, ut fessis deferbuit ardor,
326 lentior et validos insultus lucta remisit.
327 Sorbeat alteruter, sacrum refletque vaporem,
328 illicet, ut tacta Antaeus tellure, resurgit
329 firmior, exhaustumque recens grassatur in hostem.
330 Jejunus cadit, at sequitur victoria potum.
331 Sin utrique placet nova de suffimine tela
332 arripere et calidam verbis producere pugnam,
333 tum videas paribus momentis proelia saeva,
334 eventu dubio, in multam crudescere noctem,
335 nec prius argutis discedere ab ictibus ambos,
336 indefinitam abscindant quam taedia litem
337 iudicis incerti, palmae cui praemia donet.
338 Sic quondam Iliaco bello par nobile fratrum,
339 Asclepii sanguis, Podalirius atque Machaon,
340 fertur ab Atride indictum certamen amicis
341 suscepisse odiis plantae de laudibus Indae.
342 Damnabat senior lingua tenus intus amatam,
343 dissimulans veros sermonis acumine sensus.
344 Junior in fratrem jaculis ardentibus ibat,
345 et pro dilecta pugnatat serius herba.
346 Cordatum ante tubam potarat uterque tabacum,
347 impiger ingenium praeclaro accendere fumo,
348 et mucronatis mentem gravidare sagittis.
349 Multa hinc inde agili vibrata hastilia lingua,
350 multa retorta iterum ; crepero nec pausa duello
351 ulla fuit, nisi quam fumi dabat haustus amoeni,
352 unde nascentes stabant ad proelia nervi,
353 invictusque furor carum prosternere fratrem,
354 donec inexhaustis crescentes viribus iras,
355 ancipitem et litem, sententia magna diremit
356 regis, inauditae gaudentis honore palaestrae.
357 Robore sic proprio ceciditque stetitque tabacum.
358 Et nunc de fumo gravibus confligitur armis.
359 Usque adeo nil scire datur dubitabile quod non
360 ingenii faciat cita vis et gratia linguae.
361 Sed me perplexi ingressum spineta Lycaeī
362 pensi alio textura vocat. Quibus herba salubris
363 principiis constet, vero mihi carmine dictum est.
364 Nunc quibus illa viris faveat, quibus illa resistat,
365 quosque ferat pellatque aegro de corpore morbos
366 expediam, simul ut calicem siccavero paeti,
367 aedibus et vacuis succreverit aucta supellex.

LIBER II

T_2 v.1 Tollite vos ignem tubulosque ; sat aetheris haustum est
 2 dum calet ingenium, dum sensibus integra vivis
 3 versantur simulacra, fidem exsolvamus amicis.
 4 Odimus immemores ; mundum nec pascere fumo
 5 aggredimur vanos aut ampullare per orsus.
 6 Instat segnities et Phoebo invisita senectus,
 7 tristibus impallens curis, divortia Cirrhae
 8 mandat et extremum Musis offerre laborem.
 9 Dicite, Pierides, domitis quae gesserit Indis
 10 Liber : ut immanes populos moderamine legum
 11 mollierit placidus ; quernosque ligonibus enses
 12 et truculenta levi mutarit fercla tabaco ;
 13 ut mores geniumque pater Silenus amoenae
 14 stirpis et innumeros ludens evolverit usus.
 15 Forsitan haec, qui vos bifido de monte per aequor
 16 transtulit auratam Boreae regnator in aulam
 17 audiet, et tanto si non indigna parente
 18 funditis, innatum quamquam aversatur odorem,
 19 vestris perfusum violis animaque suavi
 20 inter pulvillos variata mente reponet.
 21 Ut sedit solio victor, non tristibus armis
 22 saeviit in vitam vel opes ; nec durus abactis
 23 indigenis statuit dominos ; nec more tyranni
 24 optavit metui, metuit non ipse timentes.
 25 Lenibus alloquiis et majestate remissa
 26 partus amor populi ; facilis clementia mores
 27 erudiit glebamque jugo parere suasit.
 28 Terra feris infamis erat ; lyncesque, lupique,
 29 tigres, et celeres pardi, mistique leones
 30 impune insidias pecorique virisque parabant.
 31 Tollere nec cladem intentis in mutua bella
 32 cura fuit ; major sed erat meliorque voluptas
 33 finitimos flammis vexare et caedibus agros,
 34 et coctos calidis hostes apponere mensis.
 35 Non tulit immanem ingluviem, qui temperat aestus,
 36 sanguinis inque siti pacis suffundit amorem.
 37 Vastitiem lustrare cupit, regesque cruentos
 38 visere, et ingenuas crassis dare mentibus artes.
 39 Assumit numero e magno quos indolis esse
 40 sciverat urbanae ; calicum sed largior usus
 41 vitaque liberior nervisque inimica libido
 42 fecerat effetos, at nobilis aura tabaci
 43 compositusque labor caelique nitentior haustus
 44 sensim reddiderat reparatis viribus aegros.

45 Amphoriam Balanumque legit comemque Neandrum,
46 jucundos comites, totidem quibus addit amoena
47 fronte viros, luscum Pelian, geniique sagacis
48 Idmona, caerulei ridendum tubere nasi,
49 pauperis et barbae metuentem scommata Trullum.
50 Haerebat sociis et clam post terga subibat
51 olim gratus Aper ; casu sed surdus iniquo,
52 non adeo, ut solitus, suavis comes atque facetus,
53 jussus abire manu, invitus sub tecta redivit.
54 Regulus Haematoes, quo non truculentior alter
55 vicinos capere et captos prandere, tenebat
56 non procul imperium, vastis inclusus in antris,
57 turpis ubi laniena fuit : juvenumque senumque
58 corpora vincta jacent stabulis, pinguique polenta
59 ingrata cumulant in gaudia dira saginam.
60 Huc canibus jaculisque plagisque sequentibus omne,
61 cornicinum sonitu et mistis latratibus, agmen
62 vertit iter. Nec longe aberat domus atra tyranni,
63 qualem Dis habitat. Primo venientibus antri
64 os immane patet ; congestis ossibus albet
65 limen, et affixis apparent culmina tectis
66 consitus ut scolymis horrescit edulibus hortus,
67 cum capita in squamas longis crevere medullis.
68 Forte dies genialis erat, Lapithaeque repostis
69 instruere altilibus convivia lauta parabant.
70 Agminis ad strepitum cavea caput exerit heros
71 mulleus et virides exponit vertice plumas.
72 Mox refugit visis, venit alter et alter, et antri
73 interiora petunt, nec portam vecte parato
74 claudere, nec miram meminere excludere gentem.
75 Dum tenet attonitos caecus timor, ilicet Idmon
76 primus in ignotos audet penetrare recessus
77 cum cane nasuto. Sequitur mox cetera pubes,
78 palpans in tenebris, nisi qua per summa receptus
79 tecta viam ostendit sub opaco lumine splendor.
80 Silenus medio, extremo tutissimus Evan.
81 Perveniunt tandem ducit quo nidor in aulam
82 ferventem fremitu, facies ubi dira culinae
83 perculit ingressos primo, plenique lebetes
84 multa virum femora, et stillantes lancibus armi ;
85 femineique coqui cinctis circum ilia peplis.
86 Non procul in clathris porcorum more jacebant
87 corpora dena virum, festo servata propinquo,
88 dum crescant adipēs, lacrimis quos Liber abortis
89 praeterit. Haematoem attenta dum nare Molossi
90 vestigat, penitusque latentem affatur in antro.
91 "Surge miser, vultusque hominum consuesce tueri.
92 Venimus innocui, caedes nec caedibus istas
93 ulcisci est animus. Veniam donamus avitis
94 ritibus, et placidos gerimus sine sanguine mores.
95 Si cruor est cordi pugnandi et tanta libido,
96 bella movete feris ; armento arcete leones ;
97 parcite vicinis ; turpes nec ventribus escas
98 indite nec foedis postes ornate tropaeis.
99 Non est illa lupis rabies, non tigride tigris

100 pascitur, irato nec fit leo cena leoni.
101 Tollite ferales epulas, et condite terra
102 tristes reliquias, dapibusque fruamur honestis."
103 Ille nihil clarum ; obscuros modo gutture mittit
104 grunnitus, torvumque tuens, non sponte monenti
105 obsequitur, pavidosque jubet parere clientes.
106 Tumque abit annona infelix, meliore parata
107 succedunt veribus jucunda obsonia mundis :
108 cervorumque, suumque tori, leporesque, anatesque,
109 venatum et quicquid dederat labor.
110 Advolvuntur humi (nec enim conjungere mensas
111 hora dabat) Bacchus primum, vetulusque magister,
112 tertius Haematoes. Nullo mox ordine seni
113 procumbunt comites ; tum picti terga sodales.
114 "Fata juvent ; numquam dextras junxisse fideles
115 paeniteat,"rex Liber ait. "Felicia sint haec
116 foederis incoepti primordia. Ponite, amici,
117 ritus immundos, facillique assuescite vitae.
118 Tuque adeo subitos aditus nec libera, frater,
119 condemna alloquia, ingenui firmamen amoris.
120 Proderit hoc olim hospitium, nec vestra juvenus
121 utile subsidium vitae didicisse dolebit.
122 Hoc tu pignus habe, quo nullum sanctius optes."
123 Dixit, et undantem vino cratera recenti
124 impiger exhaurit, secto quod palmite nuper
125 arboris aerae repetito effluxerat ictu,
126 utribus et plenis stabat prope. Suscipit ingens
127 bellua, et epoto miserorum sanguine, taetram
128 non prius aspectum nectar deturbat in alvum,
129 emittitque olidae ructamina cruda popinae.
130 Subrisit Pelias ; narem compescuit Idmon ;
131 Evius increpuit nutu, et sermone benigno
132 non bene constantis vultum firmavit amici.
133 "Euge virum ! Ut vero placuit liquor ? " Ille subaudax,
134 fronte supercilioque ad verticis ossa retractis,
135 "Est bonus iste cruor, quocumque e gutture fluxit.
136 Vix melior pueri imberbis. Si quis mihi porro
137 praebeat, haud verear patinam sorbere secundam."
138 "Quod poscis, dabitur, sed pocula jungere poclis
139 et turpe et nocuum. Nescis, bone, qualis in isto
140 sanguine saevitia est. Proprio te discere damno
141 non patiar ; forte ex aliis sine crimine nosces.
142 Ut vero patrias crassae caligine mentis
143 ignoratis opes ! Hebeti tam grata palato
144 munera succiso de cortice sufficit arbor
145 obvia, nec sumptu, multo nec emenda labore.
146 Sponte suos praebet lanianda securibus artus ;
147 fundit et aeternos redivivis fontibus amnes.
148 Caedite, legitimos terrae bona vertite in usus.
149 Ducite nec pulchrum humanis pinguescere venis,
150 et terrae sinibus serpentum more latentes,
151 luce virisque procul naturae extinguere lumen.
152 Sunt vobis hominum vultus, sunt pectora nec mens
153 degener, intrepidaeque animis ad proelia vires.
154 Tot bona cur tumulo infoditis ? De fronte character

155 humanus perit nec, quamvis sanguine pastis,
156 sanguineus color est. Tumido sed luridus ore
157 pallor inest, oculique latent, discrimina nasum
158 nulla genasque inter ; facies vesica videtur ;
159 tempora nuda pilis ; putri labra turgida tabo ;
160 et nigro trepidi promanant sanguine dentes.
161 Vix animam trahitis ; nervis attollere costas
162 non datur ; injecto ceu pondere pectus anhelat ;
163 est piger excussis genibus gradus, et dapis almae
164 nullus amor, sed humi juvat edormire veterum.
165 Hanc situs et numquam soli nec pervia ventis
166 antra dedere luem spurcoque obsonia succo.
167 At magis ira deum, mensis accensa nefandis,
168 intulit immundam resoluta robore pestem,
169 et jam barbariem luitis, potumque cruorem
170 redditis impuro, qui vos infecerat, ore.
171 Ut moniti quaeratis opem, sed nec bona vestra
172 nec mala novistis. Tantus stupor occupat aegros !
173 Cernitis accenso prognatum pulvere fumum
174 nare venire senis, velut exhalante camino ?
175 Pulvis hic herba fuit. Vobis vicina Tabaca
176 nomine vix noto clarum dedit insula nomen.
177 Hinc finem sperate malis. Tu, cane magister,
178 cui natura parens rerum momenta suarum
179 credidit, ingenium remedi percurrere modumque,
180 nec differ miseris optatam afflare salutem."
181 Hic paulum tubulo amoto flammaque moratus :
182 "Magna jubes," dixit. "Si quae tamen auribus istis
183 digna putas, dicam. Detur modo vita recensque
184 libertas miseris, pedibus quos fune ligatis
185 aegrotos stabulis in foedo stramine vidi."
186 Annuit Haematoes. Solvuntur vincula claudis ;
187 prorepunt geminis nixi, sua quique gerentes
188 ore mala, et lucem veriti tetigisse supremam,
189 vultibus obscaenis laetam ductantur in aulam.
190 Non tenuit lacrimas vetulus pater. "Eia, sodales,
191 vivite," ait. "Vitam meliori at ducite fato.
192 Nam licet et dabitur. Latet isto condita buxo
193 vestra salus, modo sit servari certa voluntas.
194 Tu, miserande senex, muriam pro sanguine venis
195 qui generas, cui crura labant luctante podagra,
196 purpurei stillant, hebetesque arctantur ocelli,
197 caecus eris, si spernis opem, sed ab arte medelam
198 sufficiam." Et tumidis albo suffimine buccis
199 in pileum nebulam inspirat, vultusque seniles
200 protinus includit junctis ad tempora limbis.
201 Excipit ore senex mordentes lumina fumos,
202 et patitur jussus, spe consolante, dolorem.
203 Exprimit imbrem oculis ; videt acrius omnia circum,
204 plenius admissa deterisis luce fenestris.
205 Atque potest adeo salebrosa in nare magistri
206 eminus exstantes oculo numerare pyropos.
207 Namque rogatus uti in naso quae cerneret et quot
208 diceret, ostendit digitos, et "Fraga tot," inquit,
209 "aspicio in nostris nascuntur qualia silvis."

210 Ilia concussit vetulus ; risere sodales.
 211 "Dignus es articulis sine nodo. Age, sugito," dixit.
 212 "Claude labrum et laxis exspira naribus auram."
 213 Sugit et exspirat, sed porro injussus, ut antrum
 214 in gyros volvi et turbari ructibus alvum
 215 sensit, humi recubans, confertim cruda remittit
 216 frusta, et multiplices, quas ante voraverat, offas.
 217 "En podagrae exitium ; sic fonte revellitur ipso
 218 succus edax, teneros rodens sine dentibus artus.
 219 Hoc bis agas, cum luna latet, cumque orbe recrevit
 220 (tum latebris turgent succi, tum mobilis humor)
 221 post laeves patinas et prandia pinguis omasi.
 222 Sic ubi cisternam illuvie primamque cloacam
 223 terseris, humores ablatis faecibus ibunt
 224 purius ; articulis blanda et sine sorditie acri
 225 nutrimenta fluent, quo nec fecunda malignis
 226 reliquiis acidi pungentur acumine nitri,
 227 torta nec in duram concrenent vincula cretam.
 228 Tum levitate pedum satyris certabis, et ipsas
 229 sponte tua poteris saltu ductare choreas.
 230 Quod si pauca tamen salsae vestigia labis
 231 exsuperant, hausti blanda torpedine fumi
 232 vanescent, nec hebes sensus, velut ante, dolebit.
 233 "Hac ope non podagrae tantum cruciamina cessant,
 234 sed porro coli rabies, sed volvulus atrox,
 235 gutturis et foedae tollens discrimina sedis,
 236 et capitis clavus, et sibilus auris adurens
 237 mitescunt subito, nec post injussa recurrunt,
 238 si modo quis constanter amat, nec jurgia curat
 239 conjugis in fenum insontem maledicta vomentis
 240 oscula quod vitiet, nitidas et conspuat aedes.
 241 "Vir fuit antiquae fidei nec moribus asper,
 242 aequoreas habitans morbosus in litore sedes,
 243 labe nova infames. Quos ceperat acre venenum,
 244 fredebant medio terebrati abdomine, mox ut
 245 repserat extremos morbi violentia in artus.
 246 Tensa velut valido membra omnia fune rigeant,
 247 nec vis ulla super, nec motus ulla facultas.
 248 Ille malo arreptus, Phoebeas jugiter artes
 249 implorabat inops ; dedit et medicamina Phoebus
 250 nequicquam. At solitis conatum lusit in herbis,
 251 donec inauditam melior fortuna medelam
 252 praebuit, et facili reparavit damna tabaco.
 253 Inde colit munus divum, multosque per annos
 254 obtinet illaesam fumo constante salutem,
 255 cum prius incerto vitae tremulisque lacertis,
 256 importuna lues necdum superata rediret,
 257 nempe salis pungens acies, obtusa sopore,
 258 desiit in molles mucronem intendere nervos.
 259 "Sic, ubi radicem dentis deterrimus humor
 260 vellicat, ardentemque inflavit tubere duro,
 261 qualem offert nucibus conclusis simia buccam,
 262 fumus in os veniet, parvoque ut tempore clausus
 263 manserit, extemplo gemitusque tumorque recedent.
 264 Sic aliae migrant afflicto e corpore pestes,

265 quas mala conceptae salsuginis aura creavit.
 266 Labentes pluviae sublimi e fornice tecti
 267 in teneros folles, quibus insita flamma movendo
 268 vivit et in numerum flatu modulante fovetur,
 269 densatae in media pendent regione, forasque
 270 ante levis quam sit membrana arrosa feruntur.
 271 Quid referam tumidas fauces, laqueumque latentem,
 272 elucum, et subita dubios vertigine gressus,
 273 clangosasque brevi minitancia flumina nares ?
 274 Omnia mulcentur fumo, si provida cura
 275 maturat, seras nec opem producit in horas.
 276 "Sunt quibus occultis mordax contagio membris
 277 offecit, seu spurcicies nitrosa canales
 278 raserit urinae vel apertum faecibus anum.
 279 Hinc quoque luctifico requiem sperate dolori
 280 qui matulae ingemitis, qui clavos inter acutos
 281 horrida Caucasei depingitis ora Promethei.
 282 Non ego vaticinor, Parnassi aut somnia fingo.
 283 Nota loquor, quaeque ipse prius crudelia sensi
 284 quam facies paeti mirandaque nota foret vis.
 285 Namque (fatebor enim) luxu transacta juvenus
 286 cum Baccho, satyris, et suavi isto comitatu
 287 hic illic vetulo rimas in corpore fecit
 288 subjecitque malis, quae magna est nosse voluptas,
 289 sanasse utilior ; nostroque probata periclo
 290 certius in populi juvat usurpare salutem.
 291 Sed quia par cura est tristes expellere morbos
 292 et validos servare habitus, quae cautio sanis
 293 discite, quisve modus ; nec enim omnibus omnia prosunt.
 294 "Oderunt alii natura ut triste venenum ;
 295 deficiuntque animo ad folii fumantis odorem.
 296 Stulte alii damnant, novitas quia displicet omnis,
 297 quod sine paeto atavi, meliores stirpe sequenti,
 298 concessum a superis egere salubriter aevum.
 299 Abstineant ambo, nec enim pugnare decorum est
 300 naturae, aut rectam invitis infundere mentem.
 301 "Si quis amat, sapienter amet, nec simius alter
 302 consilio et sine fine aliorum irrumpat in actus.
 303 Sunt qui fumum ideo, ut potent tantummodo, potant ;
 304 urbanos inter ne non habeantur amoeni,
 305 prositne an noceat sibi susque deque ferentes.
 306 Rusticus ille malusque pudor. Nam vel juvat haustus
 307 vel laedit. Teipsum noscas et idonea fumo
 308 corpora, ne sero tandem tua damna queraris
 309 "Si cui grande caput prostanti fronte rotundum,
 310 lati humeri, pectus patulumque, torosaque membra,
 311 sub cute obesa caro, pituitaque multa palato -
 312 is bibat impune et repetito indulgeat haustu,
 313 si libet, et justos sumendi respicit usus.
 314 Parcius attingant graciles, quibus ardua cervix,
 315 frons angusta, caput minimum, praecordia pressa,
 316 excarnesque genae, et pauca mucagine nares.
 317 Ollis spirituum ut brevis est annona cerebro,
 318 obruitur facile conferti aspergine fumi,
 319 haud secus ac nebulae hiberni caligine soles.

320 Compositi validis biberint si largius aequo,
321 occupat ignavos torpor, defessa quietam
322 membra petunt, nervis velut ex aetate solutis,
323 mane tremunt, altaque obeunt in luce soporem.
324 Quod si praeterea roseus color inficit ora
325 et subeunt tusses et densus anhelitus, illum
326 ejurare tubos jubeo carosque sodales,
327 ne redimat nocuos vitae discrimine lusus.
328 Illi pulmo flagrat, putrive uligine turgens
329 febrim corde fovet lentoque absolvitur igne.
330 Sed si tantus amor fumi nec tendere contra
331 vota libet, caeco ratio sed cedit amori,
332 bechion arentem sumat fumumque capessat.
333 Non metus hinc fuerit sed spes non vana salutis.
334 Nec moderatus enim accendit calor, at levis aura
335 ulcera desiccant saniemque e pectore ducit.
336 Denique si qua vehit tectam causa abdita tabem,
337 seu mala per totum diffusa injuria corpus,
338 seu cita febris erit laesi vel visceris aestus,
339 ah ! Tibi ne tanti sit perniciose voluptas.
340 Declina illecebras, et quamvis parcere durum,
341 parce tamen, certae et caveas auctaria cladis.
342 "Est etiam quandoque ut, qua data porta, subinde
343 erumpat sus deque cruor letumque minetur,
344 et vomitu ruat et laxis fluat alvus habenis.
345 Quicquid contigerit, feralia pocula mitte,
346 nec libeat nocuas immittere faucibus escas :
347 sanguinis hinc fluvii crescunt vomitusque ferocit,
348 vitaeque disjectis tandem cum faecibus exit.
349 "Judicio hic sistor rationis, tollere visus
350 quod posui. Nam si paeti gravis herba soporat,
351 et sopor excrementa tenet, damnatur inique
352 quod juvat et laudem meruit. Bene praemonet, inquam,
353 quisquis is est, nodum neque dissolvisse pigebit.
354 Hunc ergo jubeo in mentem revocare quod olim
355 sanximus : adversas simul hic subsistere vires.
356 Nempe sale hinc stimulat naturam pellere tardam
357 ac veluti vivis pigram calcaribus urget.
358 Parte alia exhalans nebuloso sulphure somnos,
359 sistit et effusam facili compescit habena.
360 Ac velut indomitus sonipes, juxta ilia fossus,
361 evolat et freno deinceps parere recusat,
362 sic ubi depultrix valide movet et retinendi
363 vis labat, ut leviter tacta est, ruit impete multo,
364 nec motam retinere leve est nec tollere lapsam.
365 Et magis effluxisse nocet quam clausa manere.
366 Usque adeo multum est rerum momenta modumque
367 temporaque et quae sit cunctis natura tenere.
368 Sic virtus viget ipsa, viget quoque corporis aetas ;
369 utraque deliquio tandem nimioque labascit.
370 "Nil melius vino ; vinum tamen omnibus aequo
371 non datur in cyatho. Nec sugitur omnibus horis.
372 Immo etiam quandoque necat, quandoque furorem
373 suscitatur. Interdum rationem largior haustus
374 obruit in spatium, quo mobilis orbita caeli

375 volvitur, inque locum redit unde exiverat ante.
 376 Solvitur interea strictis nisi crapula vinclis,
 377 ebrius exspirat, saltem exspirasse putatur.
 378 "Haud procul exemplum : nuper satyriscus Adonis
 379 dum tua festa colit, rex o Lenaeae, sepultus
 380 et vino et somno, sub terram ut mortuus ivit.
 381 Postridie effossus vitae manifesta receptae
 382 signa dedit, capite effracto manibusque cruentis.
 383 At miser adversus mortem cubitoque genuque
 384 confligens, animam clausa colliserat arca.
 385 Quid tam funestum nostrae adversarius arti
 386 objiciat ? Nulli, quantumvis multa, obeundi
 387 causa fuit ; mentem nulli, quod constet, ademit.
 388 "Contra, laetitia in magna, dum pocla salutis
 389 ordine discurrunt, si quis temerarius audet
 390 jura insana sequi calicum pugnamque lacessit,
 391 ne titubet ratio aut gressu titubante vacillet,
 392 arripiat tubulum, medicam intermisceat auram.
 393 Surget inoffenso vultu ; bene condita verba
 394 sobrius exponet. Fumi dum nescia turba
 395 instabilis prodet vibrantes fronte lucernas,
 396 et gressu insolito dabit irrisoribus ansam.
 397 Nempe tuus fumo, bis Nate, retunditur ignis,
 398 mobilis et rabies blando torpore quiescit.
 399 (Nec ferat invidiam quae dat tibi copula laudem.)
 400 Non melius lapidi Herculeo chalybumque metallo
 401 convenit, optatum quam quaerunt vina tabacum.
 402 Sic operas praestant inter se, junctaque multo
 403 nobiliter sapiunt quam degustata seorsum.
 404 "Denique mortales, quantum est, conducit in usus,
 405 nec quicquam, ut suis occisi, non utile : flammae
 406 qui superat post fata cinis rubigine foeda
 407 defricat et flavos facit excandescere dentes.
 408 Fumus et ipse (novum auditu) consistere jussus,
 409 paret et emissus per coniventia labra,
 410 ore manu impresso, fulvum densatur in unguen,
 411 virginibus carum, quibus a serpigine longa
 412 prurit scabra manus manantibus undique rimis.
 413 Laevigat admotum et splendorem inducit eburnum,
 414 non sine portento. Nec parvo gratia constat ;
 415 namque per arcanos penetrabilis aura meatus
 416 cor quatit, et stomachi vinclis utrimque solutis,
 417 Aeolium ventis subvertit olentibus utrem,
 418 sed vita incolumi, ridentibus affatim amicis,
 419 inde metus tutos, decus inde doloribus emptum.
 420 "Jam bona decerpsi. Nunc, si quae incommoda ab usu
 421 obveniunt, seu sint vere, seu vera videntur,
 422 expediam ; longa nec vos ambage morabor.
 423 Insimulatur enim clarae quod mentis acumen
 424 obtundat, speciesque locis situque decenti
 425 confundat tenebris et nigra oblivio ducat.
 426 Crimen atrox, sed quod vel prava calumnia finxit,
 427 vel bona simplicitas. Non est, quia non potis esse.
 428 Immortalis enim cum sit mens orta que caelo
 429 portio, corporeis non est obnoxia damnis.

430 Actio recta quidem, si laeditur instrumentum,
 431 laeditur ad tempus causa durante, sed ipsa
 432 mens intacta manet, quamquam ceu nubibus atris
 433 circumfusa latet, radiosque occultat inertes.
 434 Non aliter Phoebi quam lucida tela Dianae
 435 intercepta globo vel tegmine nubis opacae
 436 tempore non longo nostris tolluntur ocellis.
 437 Nec minus ipse tamen sincero candidus orbe
 438 ardet et innumeris lucem communicat astris.
 439 Sic animo nulla est, animi nisi crimine, labes.
 440 Desidia et luxus, levis inconstantia et ira
 441 ingenium obtundunt, lumen rationis inumbrant,
 442 permiscentque notas tabulis et nomina delent.
 443 Quilibet id meminit quod amat crebroque revolvit.
 444 "Da mihi de multis fumi potoribus unum,
 445 creditor, aut plenae cui sint oblita crumenae
 446 scrinia, desponsae vel notum limen amicae,
 447 et dabo de fumi multis osoribus octo,
 448 aut plures etiam, proprium cognomen et acta
 449 hesterna, et patriae oblitos elementa loquelae.
 450 Scilicet aut nocuum virus, vel pestifer ignis,
 451 aut morbus subito sumens a verbere nomen,
 452 aut nimium palpata Venus, vergente senecta,
 453 laeserat officium cerebri, nec congener aethrae
 454 spiritus eversa poterat durare fabrina.
 455 "Quod si praestanti folio suppressa periret
 456 vis reminiscendi, cur tot praegnantia rebus
 457 pectora vastitiam quaesitae laudis amarent ?
 458 Qualia nota, quibus nihil ignoratur eorum
 459 quae callere licet, quibus est dilecta voluptas
 460 condere res animo ; populique astante corona,
 461 condita mente prius memori diffundere lingua.
 462 "At thalamos contristat iners, piger halitus, ipse
 463 castior, abstrusas partes qui fascinat, agno.
 464 Audio femineas voces, nam mascula virtus
 465 laudarit potius rabidi sufflumen amoris.
 466 Non hodierna quidem infirmi querimonia sexus.
 467 Matronis odium est, ex quo Vulcania conjunx,
 468 frigore suspectam gelidis certare cicutis,
 469 inferri in Cyprum vetuit Cytherea Paphumque.
 470 Bello nempe redux inter convivia divum
 471 Evius, ut domitae obtulerat nova gaudia terrae,
 472 Jupiter ante alios et cum Jove Mulciber et Mars,
 473 Atlantisque nepos et nectare plenus Apollo,
 474 fumivomis olidam simularant naribus Aetnam.
 475 Ridebant novitate deae sed nocte sopora
 476 offensae statuere suo depellere caelo
 477 Thessalicos ritus vigilesque tenere maritos.
 478 Ergo postridie, simul ac fumosa supellex
 479 prodit, prima Venus, coepti manifesta protervi,
 480 involat in mercem buxumque et pulverem et ignem
 481 (tam facilis divae superis mirantibus iras)
 482 subversos pedibus summo deturbat Olympo.
 483 Sic lasciva Cypris insaniit. At Jove nata
 484 bellatrix, nemorum virgo, Pindique sorores

485 sparsa reliquias gremio legere, patremque
 486 Thyrsigerum obnixae nova supplementa rogarunt,
 487 subsidium et voto gratis retulere pudico.
 488 "Ingens opprobrium vero, si Cypridis aestum
 489 temperat ; imperium menti membrisque vigorem,
 490 virtutumque decus rara virtute tuetur.
 491 Non exstinguit enim nymphaeae aut cannabis instar
 492 naturae instinctum, sobolis nec munera tollit.
 493 Fors numerum minuit, sed freno arctata cupido
 494 quod demit numero, generis bonitate reponit ;
 495 grande bonum, si vel tenuis fortuna parentum
 496 non premitur multa prole, aut respublica gaudet
 497 fortibus et justis potius quam plebe frequenti.
 498 Utilis hinc adeo senibus primaeque iuventae :
 499 frugalesque cado in summo sibi praestat et imo,
 500 dum celeres flammam cineresque subinde repentem
 501 aut sedat subito aut ut fusa diluit unda.
 502 Stultitia facili canos pubemque furore
 503 indeque prognata solvens vertigine mundum.
 504 "Ne despecta tamen vestris prorsum exulet hortis,
 505 o dominae ! In duris et habet sua commoda rebus.
 506 Errantes uteros sursum trans septa ruentes
 507 et tensum veluti ferientes ariete ventrem,
 508 si quando oppressus pulmo sublatus anhelat,
 509 deprimit, inque suas cogit descendere sedes,
 510 ocius, incumbens binum quam centurionum
 511 pondus, et impositi densissima sarcina plumbi.
 512 "Porro nulla seni, si vitea pocula demas,
 513 commodiora dedit mater bellaria tellus,
 514 seu servanda venit naturae annona fovendo
 515 humorem ingenitum, suavem fundendo vaporem
 516 arenti cerebro, pellendo aut sensibus hostes.
 517 Namque aciem lippis acuit, cui stiria pendens
 518 nasum hebetat, reddit siccata nare sagacem,
 519 dissolvitque graves ventosa ex aure susurros,
 520 in mentem ut melius sapientum dicta recondat ;
 521 colloquiisque diem, morosaque taedia fallat.
 522 "Quod si quis, damnosa luens delicta iuventae,
 523 nocte crucem scapulis gestat somnumque recusat,
 524 hic quoque solamen quaerat requiemque labori.
 525 Non tantum sopor in venas obrepet amicus
 526 unde dolor cedat, sed, ne nox longa putetur,
 527 somnia pulchra dabit, rerum et spectacula viva
 528 offeret ante oculos - non qualia monstra figurat
 529 torrida bilis atrox, faba, lentes, cepa, faselus.
 530 Allia et altercum fatuum, manicumque solanum
 531 si quis edit, medio in somno spectare putabit
 532 horrendas facies confusaque saecla animantum,
 533 quae nec sunt nec erunt : Harpyias aequore nantes,
 534 aere Centauros, fissa tellure draconum
 535 agmina, et ore nigro jaculantes daemones ignem.
 536 Quin etiam in subita sibi tempestate videtur
 537 aequore sorberi, et motis luctator in undis
 538 brachia anhelus agit ; celsa modo rupe volutus
 539 in mare collabi sonitumque excire cadendo ;

540 latronum gladiis adigi ; modo compede fracta,
 541 adspicit exertis insurgere dentibus ursum ;
 542 auxilium inclamat non numquam vocibus altis,
 543 interdum gemitu, donec formidine somnum
 544 excutiat, puncto necis experrectus in ipso,
 545 exanimis, gelido perfusus membra madore.
 546 "Longe aliter pictis nocturna aulaea figuris
 547 laetificat nostro eductus suffimine Morpheus.
 548 Sensibus internis naturae congrua fingit
 549 privato et genio : quae quisque in mente revolvit
 550 luce vigil vel amat, gratissima nocte recurrunt.
 551 Aulicus, orator, medicus, mercator, agyrta,
 552 navita, piscator, miles, auriga, poeta,
 553 agricola, et pictor, cerdo, patronus, amator,
 554 sopiti peragunt consueta negotia, non ut
 555 sponte rudes cernunt dubitanti lumine formas,
 556 vel nuper natam per euntia nubila lunam ;
 557 esse putant quodcumque vident, non segniter aurem
 558 incendunt dictis, atque enthymemata cudunt.
 559 Aedificant versus, clare quos mane fatentur,
 560 atque alia expediunt alii, ne somnia credant
 561 esse, nec affinem morti, nisi nomine, somnum.
 562 Non lethaeus enim est opii sopor, omnia ferreis
 563 interiora ligans, immota ut lege, catenis.
 564 Non etiam ambiguae turbatrix umbra cicutae,
 565 sensibus injiciens illusis frivola vincla,
 566 quae nec mota tenent objectis membra figuris,
 567 nec penitus vigilare sinunt. Sic altera Baucis
 568 et Philemon, teneras cenati forte cicutas,
 569 effossas in agro, quas falsi ab imagine formae,
 570 crediderant siser esse aut notae Baucidis herbam.
 571 Postquam fessa humili posuissent membra grabato,
 572 nec vigiles nec adhuc somni sub pondere victi,
 573 Exsilire toro, prior haec, mox ille, vagatique
 574 atria per tuguri brumali nocte rigentes,
 575 attoniti pariter, deliria mira stupentes,
 576 livida de trabibus retulerunt membra grabato.
 577 At sopitus homo claro spiramine paeti
 578 gaudia pacificae noctis transacta retractat,
 579 et vigil ad solitum redit aequa mente laborem -
 580 si modo laudatum fuerit, non vile nec arte
 581 fictitiumque dolis, namque omni electa tabaco
 582 non eadem est bonitas. Generosum ab origine prima
 583 asperum erit, densum folio, pullumque tuendo,
 584 jucundum longe et late diffundet odorem
 585 permistum viola aut aura radicis Etruscae.
 586 Incensum referet gustanti rite palato
 587 Assyrium asphalton, cauti vel castoris orchin.
 588 "Quod folio tenue est autumnii frondibus aequum,
 589 quale in Virginia et Bermudae nascitur arvis,
 590 abjice, et aurigis fenum nautisque relinque.
 591 Pungit enim tunicas oculi cerebrique volucra.
 592 Qui bibet, ille graves ad opus mirabitur armos ;
 593 pandiculator erit ; malas diducet hiantes ;
 594 et nisi acuta fames stimulat, projectus ad ignem,

595 gaudebit seram stertendo adducere noctem.
 596 Ante alios, fugite, o Musarum sancta propago,
 597 qui veterum e chartis Sophiae defossa metalla
 598 eruitis, vigiles. Depresum per sua signa
 599 profligate scelus mangonum et tradite flammis.
 600 "Est qui delicias alieno ex orbe petitas
 601 captat adulterio, dum, quam Scythia fuste peremit,
 602 miscet odoratae tabum ferale capellae.
 603 Stillam alius marathri jungit, vel pinguis anisi,
 604 chalcanthive notam, quae linguae affusa saporem
 605 exhibet ut Lybicae mixta melligine cannae.
 606 Omnia damnose, ne dicam molliter. Artem
 607 qui naturae adhibet, matris nisi consulat ora,
 608 turbat opus, non addit opem. Quod si tamen umquam
 609 lascivire libet, laudique adjungere laudem,
 610 sumite lignum aloes, cujus levis assula pleno
 611 fixa tubo, totum fragrans perfundet acervum,
 612 et cerebri ventres grato recreabit odore.
 613 "Sed neque congestis dapibus conjungite fumos ;
 614 inde coqui turbatur opus, sic clausa superne
 615 ostia pulsantur, tum semielixa deorsum
 616 fercula succensens mittit, quae didita chordis,
 617 seditionem alvo ventosaque murmura miscent ;
 618 sudum animo et placitis populata laboribus horas.
 619 Perniciosum etiam nudato admittere frigus
 620 vertice, vel vacuo paetum potare camino.
 621 Verberat aura cutim, reclusa foramina stringens,
 622 trans galeam teneras convellit acumine fibras,
 623 et capiti pondus, horrorem crinibus addit.
 624 "Neu libet solum calamo indulgere, nec ultra
 625 luxuriando modum cerebri complere cavernas.
 626 Alternis sumatur ; amant alterna Camoenae ;
 627 confertum natura fugit. Tibi terminus esto
 628 vertigo occipiens, quae ni simul orta recedit,
 629 adbibe lene zythum, vel aperto sub Jove frigus.
 630 Omnis et exigua sedabitur arte tumultus.
 631 At postquam capitis modulum cognoveris, intra
 632 fines curre tuos, nec te quaesiveris ultra.
 633 Naturae quisquis servaverit ordine leges,
 634 ille mihi sanus, sapiens erit atque beatus."
 635 Talia ludebat vetulus. Narrantis ab ore
 636 heroum resupina cohors suspensa silebat.
 637 Docta quidem vires, sed inops tam nobilis herbae
 638 progeniem optabat, renovandi et seminis artem.
 639 Blaesus at ille siti somnoque propinquior, uno,
 640 sed longo, maduit (subito quoque stertuit) haustu.
 641 Nos veniam fati, fessi licet et sitibundi,
 642 absolvemus opus, et quae Silenus omisit,
 643 summa tabacophilis culturae arcana canemus.
 644 Principio, ut messis respondeat ampla labori,
 645 sume medullosum generoso e germine semen
 646 cui folium oblongum, crassum, nulloque pedunclo
 647 inseritur trunco, sed ab ipso stipite surgit.
 648 Proxima cura loci ; tam strenua planta recusat
 649 segne solum ; felix animoso crescit in agro

650 qualem vitis amat. Colles objectaque soli
 651 arva legas, ubi terra levis ; non marga ligoni
 652 obvia, non argilla tenax, non obsita musco
 653 tesqua, nec impresso flentes sub vomere glebae.
 654 Ne tamen, egregiae quantumvis indolis, agrum
 655 bis sere, si plenae ducit te gloria messis.
 656 Prima rapit fetura animae quodcumque virile est,
 657 effetaque uterum delumbem in matre relinquit.
 658 Verte solum, sedesque novas adscribe quotannis
 659 hospiti inexpleto, fessis gratissima sulcis
 660 dum permissa quies pingui laetamine robur
 661 suppleat, exhausta et genium per viscera fundat.
 662 Nactus agrum, urge operas, ne sit solertior alter
 663 ordine descriptis spatiis pertundere terram,
 664 ternaque vel plura in parvum dare grana foramen,
 665 divisa aequali ut vegetabilis aura tenore
 666 inserat aequalem folia in ventura vigorem.
 667 Quod si cassum aliquod fallit vel cedit in escam
 668 muribus aut rostro fodientibus omnia talpis,
 669 spes de relliquiis superet. Si, sospite turba,
 670 densior ortus obest foliis tabesque timetur,
 671 videris ut crebram tellure exurgere gentem,
 672 Thrax esto ; patriae leges imitare severas ;
 673 imminuas numerum, multisque e fratribus unum
 674 linque solo, vacua melius quo crescat in area,
 675 attrahat et plenum nutricis ab ubere succum.
 676 Mox ubi pingue solum longique in tempore soles
 677 luxuriam foliis dederint, in caudice robur,
 678 tempus erit terrae vicinas stringere frondes,
 679 major ut in summo claudatur cortice virtus,
 680 et ferat a justo bonitatis iudice palmam.
 681 At ne praecipites messem : ut nigrescere semen
 682 coeperit in calice et folium mutare colorem,
 683 arma para et cultros ; vindemia nobilis instat
 684 et merces operae. Luces optate serenas
 685 paeticolae, nec enim folio minus officit imber,
 686 quam September obest maturis humidus uvis.
 687 Tunc mete ; dimidia est tibi jam decursa laboris
 688 meta ; quod hinc restat, cura haud levioere gerendum.
 689 Frustra etenim studium omne fuit generisque solique
 690 gloria, ni summo veniat spectabilis actu.
 691 Hic duo sollicito tibi sunt curanda labore :
 692 absumendus aquae, genitor putredinis, humor,
 693 ne fimus e folio fiat ; mox spiritus et vis
 694 ignea, quae pingui velut abdita dormit olivo,
 695 excutienda suos et deducenda per artus.
 696 Ergo ne aetheriam sol fervidus hauriat auram,
 697 sub tecto, longa suspensa e cannabe, paulum
 698 arescant folia et, parvo post tempore, strata
 699 congere acervatim, calor ut collectus ab imo
 700 turgeat et caeca distendat ad extima vires.
 701 Sic cumulata tepent primo ; tepefacta tumescunt.
 702 Mox oritur sudor ; sequitur nubecula fumi,
 703 et nisi destruitur moles, transibit in ignem,
 704 ut portata domum nondum satis arida plaustris

705 gramina constipata flagrant tectisque minantur.
706 Tu disperge struem, suspende, iterumque repone
707 in cumulos, seriemque tui pervade laboris,
708 dum fervendo animae veniat vis omnis in actum,
709 siccando et maneat, neque diffundatur in auras.
710 Hic oculis opus, hic ductu rationis et usu,
711 nam brevis est nimii, brevis est quoque linea pauci,
712 et gaudet natura modo. Sed si tamen usquam
713 peccatum, ut possis culpam sarcire, docebo.
714 Non ardente mero aut muria, non melle minusque
715 auxilio matulae (mangonia qualia tentant
716 caupones, pretii quibus est odor ante salutem),
717 subsidium ex ipso posces. Praelo exprime succum
718 vilibus ex foliis, quae dextrae incuria passim
719 praeteriit, tepidaque sinas spumescere in olla.
720 Decrepitum immergas labro, reddesque juventae.
721 Haec sat erunt. Jam quaere ratem ; merx ampla coloni
722 augebit census et vectigalia regum,
723 mercantum et loculos. Naulum fortasse medenti
724 auferet, autumnos populo factura salubres.
725 Forte etiam e furca donabit prandia corvis,
726 cessator si pauper emit, meliusque locandas
727 diffilat egestatis vicinae improvidus horas.
728 Sed bene dummodo sit frugalibus atque modestis,
729 turba perire volens, pereat. Quicumque salutem
730 abnuit, is careat, nec rerum subruat usus.
731 Cui mala lis, ratis in pelago, praepostera conjux,
732 aut dolor impatiens, nutans aut debitor aeris,
733 eripiunt somnos oculis animoque quietem,
734 is faciles leni folio debere fatetur
735 indutias, meritamque refert pro munere laudem.
736 Quotquot in adversum iudex, morosior aequo,
737 evomit ampullas, ventis mandamus et undae.
738 Orco devoveat ; mox subventanea furvi
739 daemonis ova vocet, placando et idonea Diti,
740 Persephones mulsum, Furiarum thus et odorem,
741 et de Cerberea germen letale saliva.
742 Ridemus titulos, et verba poetica pleno
743 guttore laudamus, similique reponimus arte.
744 Si quis amans veri nobis dissenserit, auctor
745 consilii alterius, quod pectore claudit, in albo
746 scribat, et hos sensus recta ratione refellat.